

ab uno scriptum ab alio prætermissum: ut nullam pene in his historiae bene digestæ lucem aut gratiam reperiatis. Tantum ex his excipere amor incessit: quantum ad declarandum quod quærimus satis fuerit: Haud contemnenda ut mihi quidem uidetur ratione. Nam si illam perfectam & absolutam dicimus ciuitatem: quæ per se se rebus omnibus ad humanæ uitæ usum suppeditandis satis ampla sufficiensq; est: ut sapientibus omnibus placet: Sane non uideo quo pacto Riualtus post Athilæ ex Italia discessum: recte ciuitatis appellari potuerit: duabus solum paruis insulis habitata. Quam ex his qui de uenetiarum initio conscribere aliter uentus illud: aliter externus assumit: Siquidem prisca Riualti incolæ initia ultima repetentes exordia sumpsere ab æde sacra primum in Riualto condita: atq; deo optimo maximo æterna memoria consecrata: Externi autem de Riualto nihil seorsum: De omnibus insulis uenetis simul eas ab Athilæ in italiam aduentu originem accepisse. Quæ sententiæ licet diuersæ sint: non tamen a uero sunt alienæ: Siquidem omnium rerû quæ aut natura gignuntur: aut arte constant plura fere semper inesse principia uidemus. Natura quidem ut in foetibus animantium. Arte ut in pictoris imagine quam stilo primum designat: colores deinde adhibet penicello. Naualis quoq; faber primo quasi spinalem carinam supponit: deinde costis munit: donec in aquam deducat: Sit primas omnium ciuitatum origines fuisse humiliores haud profecto dubium. Nam ut alias multas taceam: Romæ primordia ab Euandri Palanteo nonnulli repetunt: alii ab Ascanii filia: Romulus deinde superiora omnia deleuit. Sumere etenim licet ciuitatum initia: uel altiora: uel absolutiora: ut cuiq; magis uidetur. Arbitraria enim res omnis posita in populorum principûq; uoluntate. Veneta posteritas maluit in maiorum exordio permanere: quod sanctum religio sumq; accepisset. Magnum enim antiquæ religionis radices conuellere. Aliæ siquidem ciuitates aut operum magnorum initiis: aut conditorum dignitati: nonnullæ numinibus ortus consecrauerunt. Defuere ista uenetis: nullis munitis unq; moenibus aut arcibus neminē præterea unum potest afferere conditorem etiam si ab Athilana clade sumatur initium. Nulli debet hoc beneficium nisi deo optimo maximo bonorum omnium origini atq; auctori: Ad cuius operis exortum: benignam largamq; dexteram porrexisset dubitare non licet. Ast duo illa nobis relicta: situs uidelicet & condendi ratio: omnibus tum moenibus: tum conditoribus memorabiliora. Situs quidem admirabilis inuisus antehac & inauditus: nec minus condendi ratio: ut suo loco dicetur. Sicubi uero apud alios: aut obscurius aliquid: aut uariis contrariisq; sententiis traditum offenderimus sequi probabiliora planioraq; reddere propositi est. Non omitteremus etiam siquid inter narrandum uel utilius uel iocundius ad notitiam sese offeret. Neq;